

mus et novissimus, qui vixit et custodierit Scio tribulationem tuam usque in finem opera et paupertatem tuam mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego satanae, Nihil horum timeas quia passurus es. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.

8. E caelo membra ista possideo, * Sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso ea me recepturum spero. **9.** Ego non solum alligari sed et mori paratus sum propter nomen Domini Jesu. Sed propter Dei leges.

Lectio ij.

Haec dicit qui habet Romphaeam utraque parte acutam : Scio ubi habitas, ubi sedes est satanae : et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum : et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Et haec dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, et pedes ejus sicut milites aurichalco : Novi opera tua, et fidem et charitatem tuam, et ministerium et patientiam tuam, et opera tua no-

vissima plura prioribus. Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego satanae, Nihil horum timeas quia passurus es. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.

9. Angustiae sunt mihi undique : * Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. **9.** Vincula et tribulationes me manent : sed nihil horum vereor. Melius.

Lectio iij.

Qui habet septem Spiritus Dei et septem stellas, haec dicit : Scio opera tua : esto vigilans, et confirma cetera, quae moritura erant. Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitae, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus. Et Sanctus, et Verus haec dicit : Scio opera tua et dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere : quia habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum. Faciam ut de synagoga satanae veniant, et adorent ante pedes tuos : et scient quia ego

dilexi te : quoniam servasti verbum patientiae meae, et ego servabo te ab hora tentationis, quae ventura est in orbem universum. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novae Jerusalem, et nomen meum novum. Et haec dicit amen, testis fidelis, et verus, qui est principium creaturae Dei : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

8. Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, * Duros corporis sustineo dolores : secundum animam vero propter timorem tuum libenter haec patior. **9.** Patior, sed non confundor : scio qui credidi. Duros. Gloria Patri. Duros.

In secundo Nostarno. **Ant.** Stetit contra reges horrendos in portentis, et signis. **Ant.** Tormenta suscepit : ita ut mirarentur, quod tamquam nihilum duceret cruciatus. **Ant.** Probativ me Dominus quasi aurum, quod per ignem transit. **9.** Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. **6.** Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo. **Lectio iv.** **Ex SS. Aug. et Leon. Serm. de S. Vincenti. : ex Prud. Carm. 5. et Act. ap. Rainart.** **V**INCENTIUS Martyr ille eximius, quem Paulinus Hispaniarum vocat decus et ornamentum : quem devotis adeo Augustinus coluit obsequiis, ut sermonibus quinque laudes ejus dixerit : quem hymnis et carminibus Prudentius cecinit martyrem toto terrarum orbe celeberrimum ; Osaë in Hispania ceteriore nobili ortus genere, Valerio Casaraugustano Episcopo maxima sanctitatis viro, litteris et disciplinis informandus ab infantia traditus est : qui in doctrina et virtute gradu celeri sic est progressus, ut a Valerio ordinatus diaconus, ab eodem praesule, qui propter linguam impeditiorem verbi ministerio minus erat idoneus, praedicandi partes accepit. Dum autem creditum sibi munus, summa cum laude, fructu nec minore adimplet, in persecutione Diocletiana comprehensus, Valentiam in Hispania ad Da-

cianum præsidem vincetus ducitur.

¶ Hanc tentationem, * Ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ipsius. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in moribus frequenter. Ideo permisit Dominus.

LECTIO V.

VERUM quem coram christiana plebe infracto à laboribus animo prædicaverat: invicta à supplicii constantia coram tyranno Christum professus est. Christianæ religionis cultorem se ausus propalam dicere, præsidis furentis vincetus, rectoris brachii extensus est, donec ossa sedibus suis singula moverentur: mox ferreis unguis semel atque iterum excarnificatus est. Ipse autem, spretis tormentis, immoto ac quasi esset sine ullo doloris sensu nec minis nec iteratis cruciatibus adduci potuit, ut thus idolis adoleret, neque ut libros sacros traderet: quapropter craticulæ subjectis ardentibus prunis imponitur; applicantur membris laminae: decurrit inter candidis ferri asperitatem liquor; stridens flamma arvina respergitur; salis

ignibus sparsi crepitantes minutia per membra dissiliunt: interea Martyr invictus, erectis in cœlum oculis, Dominum precabatur.

¶ Probavit me Deus quasi aurum, quod per ignem transit: * Vestigia ejus secutus est pes meus: viam ejus custodi, et non declinavi ex ea. Ad cognoscendum Christum et societatem passionum illius, configuratus morti ejus. Vestigia.

LECTIO VI.

POST hæc in carcere testaceis fragmentis strato distenditur, ut testarum aculei vulnerum dolorem exasperarent. Sed illustrato cœlitus carcere, angelorum fovetur obsequio, alloquio mulcetur, solutis nexibus deambulans psallit, consonat vocis angelicæ modulata suavitas: quod per rimas conspicientes stupefacti carceris custodes, christianæ religioni fideliter se dedunt. Eductus inde Vincentius, molli calcitrâ imponitur, ut aliquantum recreatus acrius denud torqueretur; verum pretiosam resolutus in mortem, Daciano inanimiter de supplicio cogitante, Deo autem clementer disponente de præmio, cœlo spiritum reddidit, Circumstantium frequen-

tia sancti vestigia deosculando prolambit, vulnera totius laceri corporis pia curiositate palpat, sanguinem lineis excipit, sacra veneratione posteris profuturum. Contendit adhuc cum mortuo cadavere Dacianus: sed frustra feris objicit, corax namque custos cœlitus designatur, qui eas, truceque lupum, rostro et alis à thesauro sibi credito remotius arceat: frustra projicit in mare; quod etenim minime apparere satagerat, nutu divino semper proditur corpus, ut religiosius humandum, inquit Augustinus, venerandumque demonstraretur.

¶ Post tempestatem tranquillam facis, Domine; et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israël, benedictum in sæcula. * Ipse autem Dominus noster Jesus Christus dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia. Sit. Gloria Patri. Sit.

IN TERTIO NOCTURNO.
ABA. Propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam.
ABA. Mundus obiit, per omnia in Domino confidens. **ABA.** Vita decessit, universa genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis derelinquens. ¶

Justus cum ceciderit, non collidetur. ¶ Quia Dominus supponit manū suam. Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO VII. Cap. 10.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. 274 et 275, in Festo S. Mart. Vincentii.

MAGNUM spectaculum spectavimus oculis fidei, martyrem sanctum Vincentium ubique vincentem. Vicit in verbis, vicit in pœnis, vicit in confessione, vicit in tribulatione, vicit exustus ignibus, vicit submersus fluctibus: postremò vicit tortus, vicit mortuus. Quis istam patientiam militi suo donavit, nisi qui pro illo prior sanguinem fudit? cui dicitur in Psalmo: Quoniam tu es patientia mea, Domine: Domine, spes mea à juventute mea. Magnum certamen magnam comparat gloriam, non humanam nec temporalem, sed divinam et sempiternam. Fides pugnât, et quando fides pugnât, carnem nullus expugnat.

¶ Testimonium consecutionis est esse justus, testimonium perhibentem.

neribus ejus Deo; * Et Nolite præmeditari quod defunctus adhuc loquitur. * In vita sua fecit monstrata, et in morte mirabilia operatus est. Et.

Lectio viij.

Quisquis putat sanctum Vincentium viribus suis ista potuisse, nimis errat. Quisquis enim viribus suis hoc se posse præsumperit, etsi videtur vincere patientia, vincitur à superbia. Bene vincere, hoc est universas machinas (diaboli) vincere. Illecebras dum ministrat, vincitur per continentiam: pœnas et tormenta infligit, vincitur per patientiam: errores suggerit, vincitur per sapientiam. Si consideretur in ista passione humana patientia, incipit esse incredibilis; si agnosatur divina potentia, desinit esse mirabilis. Tanta grassabatur crudelitas in Martyris corpore, et tanta tranquillitas proferebatur in voce; tantaque pœnarum asperitas sæviebat in membris, et tanta securitas sonabat in verbis, ut miro modo putaremus: Vincentio patiente, alium non loquentem torqueri. Et verè, fratres, ita erat: prorsus ita erat: alius loquebatur. Promisit enim et hoc testibus suis Christus in evangelio: quos ad hujusmodi certamina præparabat. Sic enim ait:

* Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, Domine? * Numquid cognoscetur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis? * Nunc, Domine, respice in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa, et prodigia fieri. Numquid. Gloria Patri. Numquid.

Lectio ix.

DENTORDE his præmissis, future videlicet retributionis finibus, etiam in hoc mundo martyrum gloriam demonstrémus. Quæ hodiè regio, quæve provincia ulla, quousque vel romanum imperiû, vel christianum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentii? Quis autem hodiè Daciani vel nomen audisset, nisi Vincentii passionem legisset? Quod verò tanta cura servavit Dominus Martyris corpus, quid aliud demonstravit, nisi se gubernasse viventem, quem non reliquit exanimem? Vicit ergo Dacianum vivens Vincentius, vicit et mortuus. Vivens tormenta calcavit; mortuus maria transnavit. Sed ipse in-

ter undas gubernavit cadaver extinctam, qui inter unguas animum donavit invictum. Non flexit flamma tortoris cor ejus; non mersit aqua maris corpus ejus. Sed in his et hujusmodi, nihil est aliud nisi, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,

et per Horas. *Añã.*

FACTUS est Dominus protector meus: salvum me fecit, quoniam voluit me. *Añã.* Deus meus misit angelum suum: quia coram eo justitia inventa est in me. *Añã.* Transivi per ignem et aquam: et eduxisti me, Domine, in refrigerium. *Añã.* Tamquam prodigium factus sum multis; et tu, Domine, adjutor fortis. *Añã.* Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ.

Capitulum. Sap. 10.

JURUM deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum: in fraude circumventium illum affuit illi, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum.

Hymnus.

HEROS supplicii victor in omnibus,

Elusis fatui judicis artibus,
Lecti blanditias deserit avolans

Trans fulgentia sidera,
Colum prodigiis corpus ut integrum

Projectum mediis perstet agris, favet,
Custos corvus adest, nec volucres, neque

Accedunt avidæ feræ.
Judex aquoreis fluctibus imperat

Mergi, reliquiis ne pateat locus;
Incassum, placidè nam refluentibus

Stans undis supereatat.

Adsis, o famulis ritè precantibus,
Vincenti, radium luminis impetra,

Ne cedat pietas fracta periculis,

Succumbatque laboribus.

Id nostro maneat corde reconditum,

Quod tormenta brevi prætereantia

Æternæ pariunt præmia gloriæ,

Permansuraque gaudia.

Summa laude Pater, Natus et Unicus,

Dicatur pariter Nexus amabilis,

Indivisa manens Numine Trinitas,

Nunc, olim, sine termino. Amen.

† Custodivit Dominus

omnia ossa justi. **A.** Unum ex his non conteretur.

Ad Benedicendum. Añs.

Amplificatus est in mirabilibus suis: et quis potest similiter sic gloriari? Potentia nemo vicit illum: et mortuum prophetavit corpus ejus: in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est.

Oratio.

Da nobis, quæsumus omnipotens Deus, adversa mundi invicta mentis constantia tolerare, qui beatum Levitam Vincendum nec minis terri, nec penis passus es superari. Per Dominum.

Ad Primam. Añs.

Factus est.

Ad Tertiam. Añs.
Deus meus.

Capit. justum deduxit.

A. br. Fuit magnus, * Secundum nomen suum.

Fuit. * Maximus in salutem electorum Dei. Secundum. Gloria Patri. Fuit.

† Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. ‡ Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.

Ad Sextam. Añs.

Transivi.

Capitulum. Sap. 10.

Custodi vir illum Dominus ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi ut vinceret, et

sciret quoniam omnium potentior est sapientia.

A. br. Si consistant adversum me castra, * Non timebit cor meum. Si. † Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. Non. Gloria Patri. Si. ‡ Justus cum ceciderit, non collidetur. § Quia Dominus supponit manum suam.

Ad Nonam. Añs.

Bonum certamen.

Capitulum. Sap. 10.

Intravit Deus in animam servi sui, et stetit contra reges horrendos in portentis et signis: ideo decantavit, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudavit pariter.

A. br. Justus cum ceciderit. * Non collidetur. Justus. † Quia Dñs supponit manum suam. Non. Gloria Patri. Justus. ‡ Custodivit Dominus omnia ossa justi. § Unum ex his non conteretur.

In ij. Vesperis. Añs et Capit. de Laud. Hymnus ut in j. Vesp.

† In sæculum memoria ejus in benedictione. § Et nominatus est usque ad novissimum terræ.

Ad Magnificat. Añs.

Respice ad orationem servi tui, Domine Deus, quam orat coram te hodie: ut exaudias deprecationem populi tui.

¶ De S. Anastasio, Martyre fit alia die, ut in Comm. unius Martyris et in Breviario.
In Orat. dicitur: beati martyris tui Anastasii.

In ij. Nocturno, Lectio iv. Anastasius Persa. ut in Brev. Lectiones v. et vi. de Serm. S. Augustini, Triumphalis. ut in Communi.

In iij. Nocturno, Homilia in Evangelium, Nolite arbitrari. de Communi iij. loco.

DIE XXIII. JANUARIJ.

In Festo S. Ildephonsi Archiepiscopi Toletani, Conf. Duplex ij. classis cum Octav.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui per gloriosissimam Filii tui matrem beatum Ildephonsium, confessorem tuum atque Pontificem, misso de thesauris celestibus munere decorasti: concede propitius; ut per ejus preces, et merita, munera capiamus æterna. Per eundem Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones Fidelis sermo, de Communi. xlv.

In secundo Nocturno. Ex Sario tom. I, et aliunde.

Lectio iv.

Ildephonsus, qui et Al-

HIERMALIS HISP.

lione Hispanus, Toleti nobilissimis Stephano, et Lucia parentibus ortus, omni cura nutritus, liberilibus disciplinis instructus est. Primum habuit præceptorem Eugenium Toletanum Antistitem, a quo miram ob indolem Hispalim ad Isidorum, mira tunc eruditione pollemens est missus. Duodecim apud Isidorum commoratus annos, tandem fruge bona, doctrinæque sanâ imbutus, Toletum remeavit ad Eugenium. Postquam verò factus est ob vitam candorem, peritiamque non vulgarem, ab Eugenio ecclesiæ Toletanæ Archidiaconus, mundi cupiens laqueos declinare, in Agaliensi monasterio, quod sancti martyris Cosmæ et Damiano tunc erat dicatum, insigni pietatis ecullum induit. Cui neque parentes, jam prece, jam vi orationis tentantes, obsistere valuerunt, quin constanter in proposito permaneret.

¶ Inveni David.

Lectio v.

Monachi non multò post Ildephonsum in demortui abbatis locum subrogarunt: suspiciebant siquidem in eo (præter virtutes reliquas) equitatem, morum facilitatem, prudentiam, raram sanctitudinem. Tantus ita-

que fulgor, tanta veræ pietatis lux (quod ipse timebat) latere non potuit. Eugenio namque vita functo, cleri, senatus, totiusque populi decreto Toletanus Archiepiscopus est creatus. In quo quidem præslatu, quantum verbo Ildephonsus profecerit, quæ miracula ediderit, quam multis fuerit nominibus de Virgine matre bene meritus, non facile quibus explicare quiverit. Cognobium Virginum in Deilencensi villula ædificavit, ac magnis muneribus auxit hæreticos quosdam, qui in Hispania hæresim Elvidianam, tollentem perpetuam Mariæ Dei genitricis virginitatem, disseminabant; doctissime confutavit, ab Hispaniæ depulit: quam disputationem explicavit libro quem scripsit de beatæ Mariæ virginitate, rem miraculo confirmante. Cum enim Ildephonsus ad preces matutinas Expectationis beatæ Mariæ in ecclesiam nocte descenderet, comites ejus in ecclesia limine fulgore quodam repente deterriti, retroesserunt. Ille verò intrepidus ad aram progressus, Virginem ipsam vidit, et adoravit; ab eademque vestem, qua in sacrificiis uteretur, accepit.

Posui adiutorium.

Lectio 7j.

Cum etiam dies sancta Leocadiæ festus ageretur, et clerus frequensque populus convenisset, Ildephonsus ad sepulchrum virginis Leocadiæ accedens, flexis suppliciter genibus precabatur. Et ecce reserato repente sarcophago, Leocadia sanctissima prodiit: videntibusque cunctis, et audientibus, Ildephonsi merita de virgine Maria commendavit, dicens: O Ildephonse per te vivit Domina mea, quæ cæli culmina tenet: et præsule collodato redibat. Ildephonsus, ne res sine testibus tanta posteris referretur, arrepto Recesvinthi regis, qui forte tunc aderat, gladiolo, velaminis partem, quo caput Leocadiæ tegebatur, resecurit, eamque cum regio simul cultro celebri pompa in sacrarium intulit, ubi usque hodiè servatur. Scripsit multa luculentiori sermone, quorum, variis molestiarum occupationibus impeditus, aliqua cepta, aliqua semiplena reliquit. Obiit tandem divus Ildephonsus feliciter ac sanctè, cum sedisset in episcopatu annos novem, menses duos: sepultusque est in basilica Leocadiæ circa annum Domini sexcentesimo septuagesimum septimū,

Recesvintho in Hispania regnante. Cujus corpus in generalità Saracenis Hispaniarū occupatione in civitatem Zamorensem translatum est: et in ecclesia beati Petri honorificè quiescens, magna illius populi religione colitur.

Iste est, qui.

In *lij. Nocturno, Homilia in Evang., Vos estis sal terræ, de Communi Doctorum.*

Lectio ix. de S. Ementiana, ut in Breviario et ejus Com. in Laud.

In *ij. Vesp. Com. seq.*

DIE XXVI. JANUARIJ. In Festo S. Pauli, Vidus Semiduplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Martyris, præter seq.

Oratio.

Deus, qui beatam Paulam famulam tuam, spretis mundi deliciis post insignia virtutum incrementa, ubi voluisti nasci cælo, ubi Unigenitus tuus natus est mundo: concede propitius; ut ejus exemplo terrena cuncta despicientes, celestia consequi mereamur. Per eundem Dominum.

In *j. Noct. Lectiones de Script. occurrente.*

In secundo Nocturno.

Ex *epist. 27. sancti Hieronymi.*

Lectio iv.

PAULA matrona romana è nobilissimo sena-

torum genere, sed vita sanctitate multo nobilior: mortuo Toxtotio paris nobilitatis viro, cui quilibet liberos ediderat, totam se ad Dominum convertit, et copiosas coepit divitias in Christi pauperes tanto affectu erogare, ut eos tota urbe perquireret, et damnum putaret, (ut de ea sanctus Hieronymus scribit) si quisquam debilis, et esuriens cibo sustentaretur alterius: quo in studio usque ad mortem perseverans, dicebat interdum, se id voti habere, ut mendicans moreretur, et in suo funere aliena sindone involveretur. Cum autem ob quasdam Ecclesiarum dissensiones, Orientis, et Occidentis Episcopi Romam, sancto Damaso Pontifice, convenissent, sanctum Epiphanium Salaminæ Cyprj Episcopum hospitio exceperit, et Paulinum Antiochiæ omnibus charitatis officijs colere studuit; quorum accensa virtutibus, patriam deserere et ad eorum pergere gestiebat. Quare urbis frequentiam, et ora laudantium fugere festinans, et parvulam Bethlehem Romæ præferre volens, tandem ad portum Romanum navigatura descendit, fratre, propinquis, ac liberis prosequentibus, et piam ma-

rem materna charitate retinere cupientibus. Illa verò quam vis viscera ejus dolore torquerentur, siccos ad cœlum tendebat oculos, et pietatem in filios pietate in Deum superans, nesciebat se matrem, ut Christi probaret ancillam.

R. Propter.

Lectio vj.

NAVI igitur conscensa cum Eustochio filia, quæ propositi et navigationis ejus comes erat, alis fidei sumptis, Hierosolymam, et sancta loca incredibili ardore videre cupiebat. Quare cum Cyprium primùm, deinde Seleuciam appulisset, in Syriam, et Palestinam venit, ejus cuncta sacra monumenta tanto studio, ac pietate circumivit, ut nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci. Denique Bethlehem substitit mansura perpetuò; ubi structis quatuor monasteriis, uno virorum, quod sanctus Hieronymus gubernaturus suscepit, aliis Virginum, reliquam vitam admirabili sanctitate confecit. Humilitatis virtus in ea maximè enituit: nihil ea clementius; nihil erga humiles blandius fuit. Invidiorum calumnias, et sæculi varias tentationes summa patientia

et mansuetudine toleravit. Tarda erat ad loquendum, et velox ad audiendum. Sanctas Sripturas tenebat memoriter, et vetus, ac novum Testamentum assiduè perlegebat. Hebræam linguam discere voluit, et consecuta est ita, ut psalmos hebraicè caneret, et sermonem illum, quasi nativum, personaret. Super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat, si tamen quies dicenda est, quæ jugibus penè orationibus dies noctesque jungebat. Mollia etiam in gravissima febre lectuli strata non habuit. Tanta autem continentia fuit, ut prope mensuram excederet, et debilitatem corporis nimis jejuniis, ac labore contraheret: exceptisque diebus festis, vix oleum in cibo caperet. Neque adduci ullo modo potuit, ut ad vires corporis reficiendas vino uteretur. Egrotantes miris obsequiis, ac ministeriis confovebat, cumque aliis languentibus largè præberet omnia, si quando ipsa ægrotasset, sibi non indulgebat; et in eo inæqualis videbatur, quod in aliis clementiam, in se duritiam commutabat.

a. Dilixisti.

Lectio vij.

TANDEM cum in gravissimam valetudinem

incidisset, ac mortem adesse sentiret, et frigente alia parte corporis, animæ tepor in solo pectore palpitaret, quasi ad suos pergeret, alienosque desereret, illos versiculos usque ad expirationem animæ repebat: Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ; et, Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini: digitoque crucis signum in labiis imprimens, sanctissimam animam Deo reddidit septimo kalendas februarii, ætatis suæ anno quinquagesimo sexto. Translataque Episcoporum manibus in ecclesiam Spelunca, tota ad funus ejus Palæstinarum urbium turba concurrente, monachorum, virginum, viduarum, et pauperum, qui ad exemplum Doreadis vestes ab ea præbitas ostendebant; triduo post subter ecclesiam juxta specum Domini condita est.

a. Fallax gratia.

In iij. Nocturno, Homilia in Evangelium, Simile est regnum, de Communi.

DIE XXVIII. JANUARIi. In Festo sancti Juliani, Episcopi et Confessoris. Duplex ij. classis cum Oct.

Omnia àt in fine Brev. in Vesp. fit Com. S. Joan. Chrysostomi tantum.

In j. Nocturno, Lectioes, Fidelis sermo, de Communi.

In diocesi Conchensi, et ubi fuerit patronus vel titularis.

Lectio ix. Sermon. 22.

HOMO, tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare: manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari sacculus imperavit: jussit te transferre, non perdere. Plus consilio patris agit, quam jure dominantis. Inter insidias latronum, et tinearum morsus, quare tua recondas, objurgat; per vigiles noctes, dies anxios sollicita tempora, ne tibi ipsi facias, commoneris. Auri custos, servator argenti, securitatem non habet, nescit quietem; et cui deest securitas quies perit: pœna dives est ille, non censu. Thesaurum non deficientem in cœlo, hoc est dicere: Ubi ego sum, ibi ponite: date mihi, ego servo. Homo, da patri, crede Deo, quia et hæredi pater, et Deus homini creditum non negavit: tenere tua non potest, quia sua dedit. An humanis indiget, qui divina largitur? An est nostrorum cupidus, qui nos suorum fecit heredes?

Añbi, *Lectio in. de S. Agnete et ejus Com. in Laud.*

In ij. Vesp. Com. seq. DIE XXIX. JANUARIJ. Octava sancti Vincentij, Martyris. Duplex.

Omnia ut in die Festo, præter Lect. ij. Nocturnal, que sunt de Scriptura occurrente, et sequentia. In secundo Nocturno.

Sermo S. Leonis Papæ. Lectio iv.

Serm. 15. in nat. S. V. M.
CUNCTORUM licet, dilectissimi, gloriosas martyrum passiones, quos distincta regionibus loca meruerunt, una fides faciat omnibus indiscreto honore venerabiles: propriam tamen sibi in hoc venerationis obsequio illi vindicant dignitatem, qui Ecclesiam Dei et documentis præ cæteris erexerunt, et patrocinis adjuvarunt. Inter quos justè beatum Levitam Vincentium, cujus confessione et morte Christum incredulis prædicatum incunctanter agnoscimus, catholicis studiis celebramus. Qui ut fidelium devotionem Deo studiosius commendaret, altiori charitatis flammescens affectu, morti sese tandem fideliter obtulit, quo videlicet robur fidei in solidissima petra Christo fundatum, sequacibus imi-

tandum daretur: necnon et semen apostolica prædicationis per eum pluribus disseminatum, ope suæ intercessionis tutum, ac perfectæ consummationis fruge refertum, in cælestibus demùm horreis conderetur. Hunc ergo amplius propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur: quatenus eis se largiorem exhibeat in beneficiis, quibus se amabiliorem cognoscit in gaudiis; sicutque in ejus solemnitate uberior lætitiæ ambitus, de quo fidei crevit effectus.

¶ *Hanc tentationem. Lectio v.*

VINCENTII passionis vel ultima pervidere seu memorari, fratres, evidentiis placet: quatenus animadvertat sanctitas vestra, quo diabolus suum perduxit dolis ministrum, vel quomodo Christus suum in finem usque servaverit famulum. Cognito igitur sancto Vincentii abscessu, iudex insanus, et quia Christus vicisset in Vincentio sic sciens Dacianus, illius sibi promittit cadaveris expositione vindictam, cujus gemit ex virtute victoriam. Peris namque et canibus decepta furoris superbia assumendum projici mandat licitoribus, ut tali pastu eorum impleret ventrem, quorum

ipse gerebat mentem. Sed ut divinis excrecentibus beneficiis majoris victoria Vincentio gratia conferretur, militur corvus, avis amica cadaveribus, expositas corporis dapes servatura jejuna. Qui ut cælitus se custodem designatum ostenderet, adventantes reliquas aves eminus non segni impetu perturbabat: inter quas immanem quoque lupum propius accedentem veluti qui commissum thesaurum sacrilega audacia attaminare præsumeret, pennis et aliis diverberans procul abegit. Sed ille, quod non tam ad inferendam venisset celatur, sed littori reddituriam quam ad augendam miraculi pompæ, quam sui habitu sine stupido indicabat. ¶ *Probat.*

Lectio vi.
O IMPUDENS furor, et stulta vesania! Corvus obsequitur, lupus veneratur, Dacianus persequitur, nec erubescit velle se adhuc ferox perdere, quem mansuetacta bestialis feritas satagebat protegere. Undè ad occidendam Martyris laudem, non jam secretum, sed profundum elegit: credens sibi ad delitescendam ejus gloriam non claustra fidei servatura, sed maria: quasi non idem elementi dominus esset, per quem dudum ei carceris

abditæ celesti fulgore radiata micuissent. Datur nautis mergendum corpus in fluctibus: ut ad auxilium saltem æquora proficerent, cui ad vincendum Christi militem terra defecisset. Enavigatis itaque magna ex parte freti gurgitibus, projectum inter sorbentes undas præpotes est. Dei dextera consecuta: et que spiritum intulerat in corpus, corpus mox retulit ad sepulcrum. Sic prædicator veritatis, charissimi, nec tormentorum vincitur penis, nec tenebrosi carceris superatur angustiis. Non a bestiis dilaniatur, non profundo celatur, sed littori redditur, præconio diffamatur: ut qui verè confessus fuerat nomen deitatis, veritate sibi adessee experiretur divina suffragia bonitatis: consequensque erat, quatenus ad ejus visionem per mortem attingeret, quem probabilis vitæ conversatione semper attestatum fuisset: sciens quod de contemptu præsentis vitæ gloria surgit beatitudinis æternæ.

¶ *Post tempestatem. In tertio Nocturno. Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.*

Lectio vij. Cap. 10.
IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite timere eos qui oc-

cidunt corpus, animam in passione tolerantiam. autem non possunt occidere. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini
Episcopi.

Serm. 276, 277, in Festo
Mart. Vincentii.

In passione, quæ nobis hodiè recitata est, fratres mei, evidenter ostendit iudex ferox, tortor cruentus, Martyr invictus. In ejus corpore, penis variis exarato, jam tormenta defecerant, et adhuc membra durabant. Tot convicta miraculis persistebat impietas, tot vexata supplicis non cedebat infirmitas: agnoscat ergo operata divinitas. Quando enim corruptibilis pulvis contra tam immania tormenta duraret, nisi in eo Dominus habitaret? In his enim omnibus ille agnosendus, ille glorificandus, ille laudandus est, qui et in prima vocatione dedit fidem, et in suprema passione virtutem. Vultis nosse quia utrumque donatum est? Audite apostolum Paulum: Vos pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo. Acceperat hæc utraque Levita Vincentius, acceperat et habebat. Si enim non accepisset, quid haberet? Habebat in sermone fiduciam, habe-

bat in passione tolerantiam.

† Testimonium.

† Lectio viij.

CLARIOREM nobis Martyrem tot tormenta faciebant. Multiplici enim valnerum varietate confossus, non deserebat pugnam, sed acrius iterabat. Putaret quod eum duraret flamma, non uret; et tamquam figuli fornax lutum molle suscipiens, duram redderet testam. Poterat Martyr noster dicere Daciano: Jam non urit ignis tuus carnem meam, quia exaruit velut testa virtus mea. Et quoniam veraciter scriptum est: Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis: probatus est atque decoctus illo igne Vincentius: arsit vero et crepuit Dacianus. Si enim non ardebat unde clamabat? Quid enim erant verba irascentis, nisi fumus ardentis? Ergo Martyri nostro, refrigerium in corde habenti, flammam extrinsecus admovebat: sed ipse facibus furoris accensus, tamquam clivanus intus ardebat, et habitorem suum diabolum concremabat. Non tantum Martyrem cruciabant tormenta, quantum illum vastabant insania.

† Numquid.

† Lectio ix.

SED jam, fratres, illa somnia transierunt, et ira Daciani, et poena Vincentii. Nunc autem poena Daciano, corona verò manet Vincentio. Hoc attendite, et fidem vestram interrogate. Sanctus Vincentius si formidine tormentorum negaret Christum, videretur corpori pepercisse: quadam autem conditione mortali corpore solveretur. Quid ageret in resurrectione, cum in æternum ignem præcipitaretur? Negans

Christum, negatur à Christo: Qui negaverit me, inquit, coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui est in celis. Ecce negaret, quiescerent illi tortores, et vulnerato animo, sanum esset corpus; immò occiso animo, viveret corpus: quid prodesset in æternum mortuo brevis corporis vita?

† Deum laudamus.
DIE XXIX. JANUARIJ.
VEL ALIA DIE.
in Festo S. Valerij, Episcopi Cæsarugustani et Confessoris.

Duplex.
Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia.

Oratio.
OMNIPOTENS sempiternus Deus, qui sacram beati Valerij, confessoris

tui atque Pontificis, solemnitate hodierna die venerari voluisti: nos famulos tuos ab omni culpa liberos esse concede, ut ejus intercessionem ad vitam perveniamus æternam. Per Dominum.

in J. Nocturno, Lectio-
nes de Scriptura occurrunt.
in secundo Nocturno.

† Ex lect. jam approb. pro ecclis Cæsaraugust. et Valent. et ex iis quæ habentur de S. Valerio in Brev. Rom., in Festo S. Vincentij mart.

† Lectio iv.
VALERIUS pietate, et doctri-
na insignis ex Consulari Valeriorum turba (teste Prudentio) Cæsaraugustæ ortus est talemque se in episcopatu gessit, qualem nec optare quidem populus potuisset. Cum enim Diocletiani, et Maximiani in christianos persecutio maxime sæviret, toto animo, omnique studio ad propagandum Christi fidem incumbebat, certans numerum juxta præceptum Apostoli bonum certamen fidei, apprehendensque vitam æternam, in quam vocatus erat, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Qui cum ob linguæ tarditatem in prædicandi Evangelij exercitatione minus versari posset, ne ex ea re aliquid detrimenti po-

HIERMALIS HISP.

pulus acciperet, hanc curam Vincentio ejus discipulo et diacono demandavit; ut hac ratione nihil ad confirmandum in fide populum, ipsumque sanctè docendum, desideraretur. Utriusque verò exemplo vitæ, ac morum sanctitatis. Vincenti etiam prædicatione res christiana in dies magis augebatur. Hæc intelligens Dacianus, qui in prædicta Diocletiani, et Maximiani persecutione in Hispaniam præses missus, Christianos totis viribus insectabatur, Valerium unam eum Vincentio Cæsaraugustæ capi, et utrumque Valentiam vincetum post se duce impio suo instituto expedire admodum, ac necessarium etiam esse judicavit.

a. Inveni David.

Lectio v.

Viros itaque sanctissimos Valerium et Vincentium vinculis constrictos Cæsaraugusta Valentiam Dacianus ad se duci jubet, qui simul atque Valentiam in illius conspectu prodierunt, cum Valerius ob senilem ætatem et eam, qua apud Christianos valebat existimationem, auctoritate præcelleret, ad ipsum præses conversus: Quid, inquit, tu Valeri? an putas, æquum esse religionis prætextu principum de-

creta infringere, ac violare? Tunc Valerius, quamvis corpore ob longævam ætatem infirmiore, animo tamen firmissimo, religionis, et fidei causam suscipiens, mitiore licet ac tardiore sermone Daciano respondit: Nos, o Daciane, qui christianam fidem profiteamur, et majorum nostrorum vestigiis insistimus, Deo potius, cujus nutu omnia sunt condita, quam hominibus obedire oportere, in maximis, ac sanctissimis nostræ religionis decretis semper habuimus. Quo audito, Dacianus, quoniam ex Valerii morte nullum sibi triumphum pollicebatur, quod summa ille senectute, quam quovis tormento graviozem illi futuram esse existimabat, confectus esset, exilio dumtaxat damnandum illum esse, decrevit.

a. Posui adjutorium.

Lectio vi.

Cum igitur exilii causa Valerius solum vertendum esset, relicta civitate Valentia, in Arragonia provinciam sese contulit, cui cum Cæsaraugustam redire, aut ampla spatiosa ve loca incolere, edicto Judicis prohibitum esset, Anetum ejusdem provincie oppidulum ad habitandum sibi delegit: id etiam sibi præstituens,

In iij. Nocturno, Hom. in Euang. Homo peregrè, de Communi.

DIE XXX. JANUARIJ. In Octava S. Idephonsi. Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter Lectiones j. Nocturni que dicuntur de Scriptura occurrente, et sequentia.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Gregorii Papæ.

Part. 2. Pastoral. c. 1. Lectio iv.

TANTUM debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicitè studeat, quanta tenenda concititudinis necessitate restringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximis, præcunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, interiorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providiam in interiorum sollicitudine non relinquens.

a. Inveni David.

Part. 2. Pastoralis, c. 9. et 10.

Lectio v.

CONSIDERANDUM quoque est, quia cum curam populi electus præsul suscipit, quasi ad agrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus opere passionibus vivat, qua presumptione percussum mederi properat qui in facie vulnus portat? Ille modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritualiter vivit: qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat, qui sola intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus; qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur.

¶ Posui adjutorium.

Lectio vi. Ibid. cap. 8.

UNDE ipsum quoque episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quaerit. Sacrum quippe officium non so-

lum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans in occulta meditatione cogitationis ceterorum subjectione pascitur, laudem propria letatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quaeritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.

¶ Iste est, qui.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

De Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Ex Homilia 15. in Matth.

LUCEAT lux vestra: hoc est, plurima in vobis sit virtus ac maximè ingens illius accendatur ignis, et ineffabile omnino lumen effulgeat. Quando autem tam magna virtus fuerit et clara, latere non poterit, etiamsi mille illum contegere velit modis ille qui possidet. Bene autem ait: Lumen: nihil est, quod sic hominem faciat insignem atque conspicuum, etiamsi magno ambitu optet latere, ut splendor iste virtutis. Sicut enim ipso

sole circumdatus, ita utique clarus effulget, nec in terram solummodo rutilatus propria virtutis emittit, sed supra ipsum etiam cælum proprio fulgore radiabit.

¶ Amavit eum.

Lectio viij.

Hic itaque illos uberius consolatur. Etsi, inquit, maledicta in vos audientes doletis, habetis tamen plurimos, quos ad amorem atque admirationem Dei vestro adducatis exemplo. Tunc enim multi erunt omnino mirantes non utique vos tantum, sed per vos etiam Patrem vestrum. Nec dixit, Deum, sed Patrem, conferenda illis nobilitatis prerogativam hoc jam nomine largiendo. Considera, quantum istius modi sit commodum, quantum etiam discrimen. Si enim vitis sordemus, etiamsi nobis nullus obtrechet, erimus omnibus miseriore. Si verò virtutibus splendere curemus, vel si totus mundus contra nos maledictis voluerit personare, erimus omnium beatissimi, atque ad nos trahemus omnes, qui venire elegerint ad salutem. Omni quidem tuba documenta sunt operum clariora, vitæque mundat ipsa est luce fulgentior.

¶ In medio.

Ex Homilia 16. in Matth. post init.

Lectio ix.

NON veni solvere legem sed implere. Legem verò non uno tantum, sed altero, et tertio implevit modo. Uno quidem, quia nihil ex legitimis vice transgressus est; ipse quidem, quia per nos quoque idipsum facit, quod Paulus significando dicebat: Quoniam finis legis Christus ad justitiam omni credenti. Quod enim illa per litteram non potuit, hoc per fidem ipse confecit. Si verò aliquis diligenter examinet, alium quoque tertium modum impletæ ab eo legis inveniet. Quem verò istum? Ipsa utique præcepta, quæ erat daturus: non enim interitus priorum, sed augmentum potius, et complementum erant ea, quæ dicebantur a Christo. Illius quippe sententiæ, qua dicitur, non occides, non interemptio, sed adimpletio, magis atque munus est, dicere, non irascaris; omniumque similiter cæterorum.

¶ Te Deum laudamus.

In Laud. fit Com. Oct.

¶ Juliani, ut in j. Vesp.

Vesperis à Capit. de seq.

Com. præc. et Oct. S. Juliani, Añã. Euge. ¶

Elegit.

DIE I. FEBRUARII.
*In Festo S. Cæcilii Episcopi
 et Mart. et patroni principalis
 Ecclesie et Diocesis Granatensis.*

Duplex.

*Omnia de Communi
 unius Martyris Pontificis,
 præter sequentia.*

Oratio.

DEUS, qui nos per beatum Cæcilium, martyrem tuum, atque Pontificem, ad agnitionem tui nominis venire tribuisti, concede propitius, ut per quem superni muneris rudimenta suscepimus, per eum subsidia perpetua salutis impetremus. Per Dominum.

*In j. Noct. Lectiones
 Confitebor. de Communi
 Virg. ij. loco. Sed dum
 ultimæ dividit, ut Lectio
 ij. incipiat ad voces. In-
 vocavi Dominum.*

In secundo Nocturno.

Lectio ii.

QUONIAM varios, multiplicesque triumphos, quos euangelica prædicatione cumulavit, tempus nos dinumerare non patitur, ad illos tota nostri sermonis confugit oratio, quos Hispaniarum Ecclesia reportavit, quæ a sanctis apostolis tot meruit habere Episcopos; quot dies mundus accepit. Verè mater luminum, quos dierum, quæ septenario corusco germinis

sui toto orbe resplendet. Felix, quæ meruit considerare tot virtutum pignora, quot illa arca præceptorum volumina sacrata gestavit.

R. Honestum fecit.

Lectio v.

BEATA cui in futura gloria tot adstant candelabra, quot hic habuit Euangelii præcones; tot coronæ, quot infula, tot bravia, quot tormenta. Merito proinde de venerando illo Sanctorum numero scribens ad Alphonsum, et Sancium Hispaniæ reges, et ad ejusdem regni Episcopos sanctus Gregorius Septimus, romanus Pontifex testatur, à sanctis Apostolis ad Hispaniam septem illos Antistites directos fuisse, qui destructa idololatria christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem, et officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, et sanguine suo Ecclesiam dedicaverunt.

R. Desiderium.

Lectio vi.

Ex his adest nobis hodie natalis sancti Cæcilii, qui cum mirabilem multitudinem Christi fidei subjugasset, Illyberi glorioso agone civevit. In cuius postea civitatis excisa locum Granata successit, quæ patroni, ac parentis sui tanta semper

pietate memoriam recollit; ut etiam sub Maurorum tyrannide templum ejus nomini dicatum, sacris Christianorum celebrandis, inviolatum extiterit. *R. Stola.*

*In ij. Noct. Hom. in
 Euang. men. amen dico
 vobis, nisi granum, &
 in Festo S. Ignatii die j.
 Februarii.*

*In Laud. Com. Octavo
 S. Juliani.*

*Vesp. de seq. Comm.
 præc. tantum.*

DIE III. FEBRUARII.

Septima die infra Oct.

S. Juliani.

*In ij. Vesp. Purif. B. V.
 fit Com. Oct. si de ea fit
 hodie.*

*In j. Noct. Lectiones de
 Scriptura occurrente.*

In secundo Nocturno.

*Sermo sancti Bernardi
 abbatis.*

*In vigilia SS. Petri et
 Pauli Apost. tom 1.*

Lectio iv.

TRIA sunt quæ in hac festivitate sancti Juliani vigilantè considerare debemus: Auxilium Sancti, exemplum ejus, confusionem nostram: auxilium ejus, quia qui potens in terra, potentior est in cælis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic viveret, non erremus in eis. Verè juxta Prophetam: Semita juxta recta est, rectus callis juxta ad ambulandum.

R. Posui.

Lectio v.

Sed diligentiore intuitu confessionem nostram inspiciamus, quia homo ille similis nobis fuit, passibilis, ex eodem luto formatus, ex quo et nos.

R. Inveni David.

Lectio v.

DEDEMUS etiam attendere

exemplum ejus; quia quando in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, non declinavit ad dexteram neque ad sinistram: sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum qui dicit: Ego sum via, veritas, et vita. Intuemini humilitatem operum ejus, auctoritatem verborum ejus, et tunc videbitis quomodo tam verbo quam exemplo luxerit inter homines, qualia nobis vestigia dereliquerit, ut ambulemus per ea, et non erremus in eis. Verè juxta Prophetam: Semita juxta recta est, rectus callis juxta ad ambulandum.

Lectio v.

Sed diligentiore intuitu confessionem nostram inspiciamus, quia homo ille similis nobis fuit, passibilis, ex eodem luto formatus, ex quo et nos.

Quid ergo est quod non solum difficile, sed et impossibile credimus, ut faciamus opera quæ fecit, et sequamur vestigia ejus? Confundamur, fratres, et contremiscamus ad vocem istam, si fortè hæc confusio adducat nobis gloriosum: si fortè generet gratiam nobis timor iste. Sic ergo in sancti Juliani festivitate et gaudere et confundi debemus: gaudere, quia patronum præmisimus; confundi, quia eum imitari non possumus.

¶ Iste est, qui.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi erugo, et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

In cap. 5. Matth. Hom. 12. tom. 2. paulo ante finem.

Quia in celo est domus nostra, ibi etiam omnia recondamus, nihil hic penitus relinquentes, ne illud perdamus. Hic si quidem etsi ostis thesauros tuos, etsi clavibus securique communitas, si opponas famulorum mille

custodias, etsi superes omnes insidias malignorum, etsi oculos effugas invidentium, etsi nulla per tineas damna patiaris, etiam si nullum omnino rebus inferat detrimentum vetustas (quod utique inter impossibilia numerandum est) mortem tamen nunquam valebis effugere; sed uno tibi momento temporis omnia illa rapientur, nec rapiuntur modo, sed in manus etiam inimicorum plerumque tradentur.

¶ Amavit eum.

Lectio viij.

Si verò in supernam illam domum opes tuas transferas; omnia proculdubio ista superabis. Non enim omnia, non seras, et claves superponi erit necesse: tanta est potentia illius civitatis, tam indespoliabilis regio et quæ omnino invia corruptioni malitiæque permanet. Nonne igitur extremae vecordie est, hic quidem, ubi reposita corumpuntur ac pereunt; omnia congregare; eò loci autem, ubi et intacta permanent, atque etiam augentur, non vel minimum quiddam reponere, et hoc cum ibi simus sine fine victuri?

¶ Sint lumbi.

Lectio ix. de S. Blasio in Brev. et ejus Com. in Laud.

DIE IV. FEBRUARII.

In Octava sancti Juliani. Duplex.

Omnia sicut in die, præter seq.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi, Abbatis.

Serm. 2. de S. Victore, tom. 2.

Lectio iv.

GAUDETE in Domino dilectissimi, qui inter continua sæ pietatis beneficia indulsit mundo beatum Julianum, cujus multi salvarentur exemplo. Iterum dico gaudeate, quòd factus de medio appropriavit Deo, ut multo plures ejus intercessione salvarentur. Habet ex hominibus cui hominum peccata donet misericors, et miserator Dominus; habet tempus et locum intercedendi pius, et misericors advocatus: in terris visus est, ut esset exemplo: in celum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferte desiderat, et supplicantis affectum, et supplicationis fructum.

¶ Inveni David.

¶ HIERMALIS HISP.

Lectio v.

Hæc dies gloriosæ migrationis ejus, diæ lætitiæ cordis ejus, exultemus et lætemur in ea. Introivit in potentias Domini, gaudeamus: quia nunc potentior est ad salvandum. Hodie posito corpore, quo solo præpediri ab introitu gloriæ videbatur, tantò alacrior, quantò expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria sanctorum. Hodie de novissimo, et humili loco, quem sibi ex consilio Salvatoris elegerat, ipso summo Patrefamilias evocante, verus amicus ascendit superius et est illi gloria coram simul discumbentibus. Ascendit autem cum immensa supplicetili meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus. ¶ Posui.

Lectio vi.

ANIMA ejus in bonis demorabitur. Quæris ubi? cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno celorum. Ita cum talibus, et tali in loco sibi sedet. Sedet excelsa, et fulgida, sedet lætabunda, et laudans: sedet delicata, et ornata monilibus suis, stipata malis, fulcita floribus. Sedet gloriosus Pontifex, debita jam suavitate affectum, et securitate quietus; securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. Non enim cum putredine car-

nis simul se exiit visceribus pietatis, nec sibi sic induit stolam gloriae, ut nostrae pariter miseriae, suaeque ipsius misericordiae oblivionem indueret. **a. Iste est.**

In tertio. Nocturno.
lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vij. Cap. 6.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi arugo, et linea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Ex cap. 14. de Naboth Jezraëlita, tom. 4.

Custos es tuarum non dominus facultatum, qui aurum terrae infodis, minister utique ejus, non arbiter. Sed ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Ergo in illo auro cor tuum infodisti terrae. Vende potius aurum, et eme salutem: vende lapidem, et eme regnum Dei: vende agrum, et eme tibi vitam aeternam. Considera quia ista tibi potest mors eripere, potestas superioris tollere. Deinde: quia poteris parva pro magnis, caduca pro aeternis, thesauros pecuniae pro thesauris gratiae vendere. Isti corrumpuntur, illi permanent. Considera, quia hos

sols non possides: possidet tecum linea, possidet arugo, quae consumit pecuniam. Hos tibi consortes avaritia dedit.

a. Amavit eum.

Lectio viij.

Vox autem quos tibi det gratia debitores: Splendidum in panibus benedictum labia justorum, et testimonium bonitatis illius fidele. Facit tibi Patrem debitorem Deum, qui pro munere, quo pauper adjutus est, foenus exsolvet, quasi boni debitor creditoris. Facit tibi debitorem Filium Dei, qui ait: Esurivi, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus, et operuistis me. Quod enim unicuique minimorum collatum fuerit, sibi dicit esse collatum. Nescis, o homo! struere divitias. Vis dives esse, esto pauper saeculo, ut sis dives Deo. Dives fidei, dives est Deo, qui dives est in misericordia, hic est dives Deo.

a. Sint lumbi.

Lectio ix.

Sunt qui in paupertate abundant, et qui in divitiis egent, abundant pauperes, quorum profunda paupertas abundavit in divitiis simplicitatis suae: divites autem eguerunt, et esurierunt. Ne

que enim otiose scriptum est: Divitum pauperes praepositi erunt, et pro-

prii servi dominis fonerabunt: quia divites, et domini supervacua, et mala seminant: ex quibus non fructum colligunt, sed spinas metant. Ideo pauperibus divites erunt subditi, et servi dominis spiritualia fonerabunt, quem admodum dives rogabat ut sibi stillam aquae pauper Lazarus foneraret. Potes et tu, dives, istam implere sententiam, si largiaris pauperi. Qui enim largitur pauperi, Domino fenerat.

T e Deum laudamus.

In ij. Vesperis fit à Capitulo de S. Agatha, Virg. et Mart. cum Comm. praec.

Si dies octava S. Juliani venerit in Dominica Sept. fit officium de Dominica hoc modo: Vesp. in sabato praecedenti dicuntur de Feria, ut in Psalterio, scilicet Añā, Benedictus, Psalmi sabbati, et à Capitulo de Dñica cum Comm. diei octavae, ut in primis Vesperis Festi. Añā. Sacerdos et Pontifex. Amavit eum Dominus. Oratio. Excita sine suffragiis consecutis, et precibus propter Octavam.

Sequenti die fit de Dominica praedieta, cum Comm. Oct. in Laud. et ij. Vesp.; et non dicuntur

suffragia, nec preces ad Primam et Completorium.

Si dies octava venerit in Feria iv. Cinerum, nihil fit de Octava, neque in j. Vesperis ejusdiei octavae: sed Feria vij. dicuntur Vesperae de Feria, sine Comm. Oct. dum de ea nihil fieri debeat de sequenti: quare cessabit omnino in Nona vij. diei infra Octavam.

DIE XII. FEBRUARII.
In Festo S. Eulaliae Virg. et Mart. Duplex.

Omnia de Communione Virginum et Martyrum, praeter sequentia. Oratio.

Deus, qui nos martyrii beatae Eulaliae virginis et martyris tuae solemnitate laetificas: concede propitius; ut gloriosis ejusdem meritis, et terrena nobis proficiant, et caelestia desiderata proveniant. Per Dominum.

In Quadrage. Com. Fer. Lectiones j. Noct. in Quadr. De virginibus, Extra Quadrage. de Scriptura occur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EULALIA virgo Barcinonensis, nobilibus parentibus nata, et in Christi fide ac religione educata, cum decimum quartum suae aetatis annum attingeret, et in eadem tenera aetate desiderio

marryrii flagraret, divinitus inspirata, se ipsam sponte præsidi Daciano, Barcinone persecutionem adversus Christianos exercenti, ad martyrium offerre decrevit. Cùmque ruri tribus ferè milliibus procul à Barcinonensi urbe maneret, inde parentibus atque domesticis id ignorantibus, clam recedens, Barcinonem peruenit. Ubi prætorianam domum ingrediens, Præsidentem pro tribunali sedentem adit: et stans corameo, sic alta voce elocuta. Ut quid, Diacane, audes Christianorum sanguinem iniuste fundere, et eosdem ad falsos venerandos deos cogere? Unus est solus verus Deus, omnipotens, omnium Creator, et Dominus, quem imperatores Diocletianus, et Maximianus, et tu, et omnes homines venerari obligantur. Quomodo ergo, homo cùm sis, non times Deum unum omnipotentem offendere? Aut cur Christianos pervertere niteris, ut Deum verum deserant, et falsa dæmonum simulacra, opera manuum hominum fabricata, colant? Ad quam Dacianus, rei noritate turbatus, dixit: Quanam es tu, quæ contra imperatoriam majestatem, et ministrorum suorum debitam reverentiam, ausa es talia pu-

blicè proferre verba? Cui virgo: Ego sum Eulalia, ancilla Jesu Christi, qui et Dei Patris, et Mariæ virginis Matris est Filius, qui solus est Rex regum, et Dominus dominantium: et cui divinus jure debet exhiberi honor et cultus, non autem idolis.

¶ Propter veritatem.

LECTIO V.

HAC gloriosa fidei confessione, quasi splendenti luce excæcatus tyrannus, tum odio in Christianos commotus, tum irâ contra virginem concitatus, eam illicè alligari, in custodiam deduci, ibidemque crudeliter verberari imperat. Quod tormentum cùm constanti animo, et læto vultu tenera virgo, multis id videntibus atque mirantibus, sustineret, ferina rabie contra ancillam Christi magis concitatus Dacianus, omni tormentorum genere Eulaliam christianam debere excruciarî decernit. Igitur primum Eulalia in equuleo posita ferociter dilaceratur. Mox unguibus ferreis tota excarnificatur: facibus, flammisque ardentibus, ad ejus virgine lætus, ad ejus virgine lætus, ad ejus virgine lætus, ad ejus virgine lætus: quo totum perunctum, supra vivam calcem ex-

tenditur ac volutatur, ut ardore calcis interiora virginis viscera acerbissimè torquerentur. Liquatum ac fervens plumbum supra virgineum corpus effunditur, ac totum ipsum corpus acutis testaceis fragmentis confricatur. Ne autem sensus aliquis proprio careret dolore, per ejus nares acetum cum atrita sinapi permixtum admittitur; et candellis denique accensis castissimi virginis oculi aduruntur. Quare nihil non tentat, nihil non facit ingeniosa, sævæque tyranni malitia, ut a vero cultu Dei cultricem abducat. Cæterum quò magis crescit tortoris sævitia, eò magis augetur in sponsa Christi constantia, fortitudo, et gratia. Etenim Eulalia in cruciatibus Deum orat, eisdemque læta gratias agit: dumque tortores in inferendis tormentis fatigantur, ipsa nec tristitia affecta, nec molestia fracta, omnia non solum æquo, verum etiam alacri animo perseferebat.

¶ Dilixisti.

LECTIO VI.

NIHIL jam se posse vi tormentorum contra Eulaliam sperabat Dacianus. Ad infamiam ergò, et ignominiam callidè suum vertit obstinatum animum, ut experiat

si hoc modo valeat triumphare. Igitur castam, et verecundam virginem, nudam corpore, exustam, dilaceratam, oleo, calce, et cruore sanguinis contersam, ac deformatam, per vicos et plateas civitatis publicè coram omnium oculis, circumferri jubet. Quæ acerbum crudeleque spectaculum! Sed qui animalia terræ, et volatilia cœli vestit Deus, sponsum suam Eulaliam mirabilibus ornavit indumentis. Nix enim illicò de cœlo cecidit, quæ sacra virginis corpus mirandum in modum contextit: quæque cœlitus suo contempto refrigerio, et suo splendenti candore eidem simul esset ornamento. Quam sponsa Christi candida, et rubicunda per loca publica gloriosa incedens, verè de tyranno triumphans, omnibus visum fuit admirabilis, et speciosa! Fremebat Dacianus infractum videns animum virginis, et jam quasi de victoria desperans, eam cruce affigi imperat. Verum in cruce pendens Eulalia, celesti recreatur gaudio, quòd se cruce affixam, Christoque simillimam videt. Neque ibidem omnium admiratione Deum glorificare cessat. Denique jubente præside, pridie